

tur, quia nihil profecerunt, sed in vanum laborauerunt; conuertantur in locum suum unde venerunt, & erubescant, id est, confusi discedant velocissimè: quia nimirum nolo differre vitæ mutationem: sed ex hac hora, ex hoc momento aggredior viam Domini rectam, & perfectam. Potest etiam hæc conclusio esse oratio pro conuersione eorū hominum, qui vel persequendo, vel alligando causa peccandi illi fuerunt. Optat enim, & orat, ut illi erubescant, & conturbentur per veram cognitionem, & detestationem peccati: & sic ipsi quoque ad Deum velociter conuertantur. Potest deniq; esse imprecatio implenda in die Iudicii. Tunc enim verè omnes impii, siue Dæmones, siue homines, qui iustos ad impatientiam, vel alia peccata inducere voluerunt, confundentur, & erubescant, & conuerterentur ad agnitionem veritatis, sed inutiliter. Tūc enim dicent, Ergo errauimus à via veritatis, &c. Erit autem id celeriter valde, quia dies Domini non tardat, etiā si nobis nunc secus videatur. Sed cum venerit, & repentinus venerit, tunc sentietur, quā celeriter venerit. In Hebræo habetur, Erubescāt, & conturbentur vehementer. Quæ vox, vehementer, non habetur hoc loco in nostris codicibus Græcis, & Latinis, sed fuisse in editione Septuaginta Interpretum, testatur S. Hieronymus in epist. ad Suniam, & Fretellam. Sed si quis rectè consideret, illa particula nō deest in nostris codicibus, sed posita est paulò inferius. Nam ubi nos habemus, conuertantur, & erubescant valde velociter, in Hebræo non habetur valde, sed solum velociter. Ex quo intelligimus, non esse sensum, erubescant valde velociter, sed, erubescant valde, & erubescant velociter. Et hoc modo Codices omnes concordantes erunt.

P S A L M. VII.

Titulus, & Argumentum.

Psalmus Dauid, quem cecinit Domino pro verbis Chusi filij Iemini.

IN Hebræo non est Psalmus, sed, *Sigaion*, שִׁיגִיּוֹן quod propriè ignorantiam significat; tamen quia Septuaginta, & S. Hieronymus reddiderunt, Psalmus, dicendum erit, eam vocem esse ambiguam, & significare non solum ignorantiam, sed etiam genus aliquod cantici. Quis item fuerit Chusi, non est adeò certum. S. Augustinus, & alij qui non norunt linguam Hebraicam, existimant esse Chusi Arachitem amicum Dauid, qui (ut legitur 2. Reg. 16.) misit nuncium ad Dauidem, eiq; significauit consilium Achitophel. Sed ille Chusi scribitur per litteram Chet, iste de quo in hoc Psalmo, per litteram Caph. neque constat, an ille Chusi fuerit filius Iemini. Denique Dauid in hoc Psalmo refellit calumniam cuiusdam filij Iemini, ut patet ex illis verbis, Si feci istud; Chusi autem Arachites nullam calumniam dixit contra Dauid. S. Hieronymus existimat, titulum intelligendum esse de Saule, qui vocatur Chus, id est, Aethiops, ob nigredinem morum, & erat de Tribu Benjamin, seu (quod est idem) filius Iemini, ut patet ex libr. 1. Regum cap. 9. Saul enim libr. 1. Reg. cap. 22. dixit coram omnibus seruis suis, Non est qui vicem meam doleat, eò quod suscitauerit filius meus seruum meum aduersus me insidiantem mihi usque hodie. Hanc igitur calumniam refutat Dauid in hoc Psalmo iuxta opinionem S. Hieronymi. Sed potest etiam equè probabiliter dici, Chus hoc loco esse Semei, qui erat etiam filius Iemini, & maledixit Dauidi, cum fugeret persequutionem Absalonis, & ait: Egredere vir sanguinum, & vir Belial, reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul, quoniam inuastisti Regnum pro eo 2 Reg. 16. Ob hanc calumniam pessimam, & falsissimam videtur hunc Psalmum composuisse, orans Deum, ut defendat innocentiam, & iustitiam suam: & idèd vocatur Psalmus, Ignorantia Dauid, quia verè ignorabat, se mala illa fecisse, de quibus accusabatur à Saule, siue à Semei. Idèd etiam dicit in principio Psalmi, Domine Deus si feci istud si est iniquitas in manibus meis, &c. Videtur igitur Psalmus scriptus esse tempore persequutionis Absalò, ob verba maledictionis Semei,

D

vel